

## DISSERTATIO VII.

## De Sacramento Ordinis.

**A**geminus hic, 1. De Ordine in genere, variisque Ordinis speciebus. 2. De materia et forma singulorum Ordinum. 3. De ministro, subjecto, et effectibus Ordinis. 4. De irregularitate quae removet ab Ordinibus. 5. De censuris ex quarum violatione incurritur irregularitas.

## § I. De Ordine, variisque Ordinis speciebus.

Quaeres 1. Quotuplici modo sumi potest Ordo?

Resp. Duplici: 1. Sumitur pro Clero, seu, Hierarchia Ecclesiastica, et definitur, *Certus hominum status, in quo vari sunt distincti ac subordinati Ordinationum gradus, aliù aliis superiores, distinati ad celebrandum Eucharistiae Sacramentum, aut ad inservendum ex officio ipsius celebrationi.*

2. Sumitur pro sacra Ordinatione, et definitur: *Sacramentum, a Christo institutum, quo gratia, spiritualisque potestas Clerico traditur ad Eucharistiam consecrandam, consecranti inserviendum, caeteraque munia Ecclesiastica rite obeunda.*

Quaeres 2. Utrum Ordinatio sit verum ac proprium dictum novae Legis Sacramentum?

Resp. affirm. Nam 1. est signum sensibile, productivum gratiae, 2. ad Tim. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manum mearum.* 2. Est a Deo praecepta. Act. 13. *Spiritus Sanctus jussit segregari Paulum et Barnabam ad opus, ad quod assumpserat eos, tunc jejunantes, et orantes, impONENTESQUE eis manus, &c.* 3. Est perpetua et constans in Ecclesia, est enim instituta ad con-

fectionem Sacrificii usque ad consummationem perseveraturi. Hinc. Concil. Trident. can. 13. definit. *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere ac proprie Sacramentum a Christo Domino institutum . . . anathema sit.*

Quaeres 3. Quomodo dividuntur Ordines?

Resp. Dividuntur in maiores et minores. Ordo major est ille, qui propinque versatur circa Eucharistiam, habetque annexam legem continentiae et horarum. Ordo minor, est ille, qui remote tantum versatur circa Eucharistiam, nec habet annexam legem continentiae et horarum.

Quaeres 4. Quot sint in Ecclesia Ordines?

Resp. Ex Conc. Trid. sunt septem, nempe, tres maiores: *Presbyteratus, Diaconatus, et Subdiaconatus;* et quatuor minores: *Exorcistatus, Lectoratus, Acolytatus, et Ostiarius.*

Ergo prima Tonsura non est Ordo, nullum enim habet officium annexum circa ministerium Altaris: nihil ergo aliud est, quam, *ritus ab Ecclesia institutus, quo quis a statu Laicorum distinguitur, ut ad ordines suscipiendos melius disponatur.* Atque eo titulo gaudet privilegio Canonis et Fori.

Quaeres 5. Utrum Episcopatus sit Ordo a Presbyteratus natura distinctus?

Resp. affirm. Nam 1. veram et specialem potestatem indebilem conferit, ad ordinandos Ministros Ecclesiae, et conferendum Sacramentum Confirmationis, quae non possunt conferri a simplici Sacerdote. 2. Ordinatio Episcopalis habet materiam et formam a materia et forma sacerdotali distinctam; ergo est Ordo distinctus, et Sacramentum distinctum.

Objicies. Episcopatus est tantum extensio characteris Presbyteratus ad altiora munia; ergo, &c.

Resp. Nego ant. Nam ad extendendum characterem par requiritur efficacia, quae requiritur ad imprimendum

novum; non est ergo ratio cur Episcopatus novum non imprimat.

*Inst. 1.* Si Episcopatus esset Ordo distinctus, essent octo Ordines; atqui illud repugnat Concil. Trid. ergo.

*Resp. Dist. maj.* Essent octo Ordines, specie infra, conc. specie subalterna, nego. Itaque Ordo generatim sumptus immediate dividitur in septem species, quarum prima, nempe Sacerdotium, subdividitur in Presbyteratum et Episcopatum, qui in Sacerdotio continetur tanquam nobilior species in suo genere.

*Inst. 2.* Episcopatus non habet habitudinem ad Eucharistiam, distinctam ab ea quam habet Presbyteratus; ergo, &c.

*Resp. Nego ant.* Dat enim potestatem ordinandi Sacerdotes, qui Eucharistiam consecrant.

*Quaeres 6. Utrum jure divino Episcopi sint Presbyteris superiores?*

*Resp. affirm.* Nam jure divino regunt Ecclesiam Dei, ac proinde et ipsos Presbyteros. Act. 22: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quare Conc. Trid. sess. 23. can. 7. definit: *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores.... anathema sit.*

*Quaeres 7. Utrum omnes Ordinationes sint Sacra- menta?*

*Resp. 1.* De fide est Presbyteratum esse proprio dictum Sacramentum: nam Cone. Trid. definit sacram Ordinationem esse Sacramentum proprio dictum; ergo Presbyteratus, qui est inter Ordines praecipuus, est Sacramentum.

*Resp. 2.* Certum est Diaconatum esse verum Sacramentum: nam 1. Est caeremonia sacra, Actor. 6. *Orantes imposuerunt eis manus.* 2. Per illam caeremoniam confertur gratia sanctificans, ex Trid. can. 4. definito, *Per sacram Ordinationem dari Spiritum Sanctum, nec*

*frustra Episcopos dicere, accipe Spiritum Sanctum; at qui in Ordinatione Diaconi dicitur: Accipe Spiritum Sanctum. 3. Est a Christo instituta, ex Trid. definito, can. 6. In Ecclesia Catholica esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris. Per Ministros haud dubie intellige ad minus Diaconos; ergo.*

*Resp. 3.* Probabilius est Subdiaconatum et minores Ordines esse proprie Sacraenta: nam illa opinio est conformior menti et doctrinae Conciliorum; Florent. enim in decreto ait: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per.... Subdiaconatus vero per Calicis vacui cum Patena vacua superposita traditionem: et similiter de aliis (Ordinibus) per rerum ad sua ministeria pertinentium assignationem: ergo cum assignando materiam illius Sacramenti, assignet materiam Subdiaconatus et minorum, consequens est illos Ordines esse Sacraenta.... 2. Postquam Concil. Trident. sess. 23. can. 3. enumeravit omnes Ordines, can. 3. definit, *Ordinem, seu sacram Ordinationem, esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum:* sed quidquid convenit generi, convenit etiam omnibus suis speciebus; ergo.... 3. Subdiaconatus et minores conferunt characterem protestatis spiritualis collativum, ut docet Div. Thom. q. 35. art. 2. ad 1. 2. Atqui hoc est proprium solius Sacramenti; ergo &c.*

*Objicies 1.* Scriptura nullam facit mentionem Subdiaconatus et minorum; ergo.

*Resp. Nego conseq.* Inde enim tantum concludi potest, quod Christus per semetipsum non promulgaverit istos Ordines, sed per Apostolos, a quorum traditione illorum seriem habemus.

*Objicies 2.* Subdiaconatus non semper, minores vero nunquam fuerunt Ordines sacri; ergo &c.

\*

*Resp. Dist. ant.* Non sunt sacri ex parte functionum, quae non attingunt immediate res sacras, et ex parte status ordinati, qui yoto castitatis non est ad strictus, conc. ex parte sui, nego. Conferunt enim sacram functionem.

*Inst.* Possunt exerceri a Laicis; ergo non sunt sacri ratione sui.

*Resp. Dist. ant.* Exerceri possunt a Laicis ex officio et solemniter, nego, secus, conc. alias nec distributio Eucharistiae, quae olim sivebat a Laicis, nec Baptismus, qui etiam nunc in necessitate datur a Laicis, essent quid sacrum.

### § II. *De materia et forma singulorum Ordinum.*

*Quaeres 1. Quaenam sint materia et forma Episcopatus?*

*Resp.* Materia Episcopatus essentialis, est sola manuum impositio ab Episcopo consecratore et assistentibus Episcopis facta; forma vero sunt haec verba impositioni manuum correspondentia: *Accipe Spiritum Sanctum.* Caetera ad solam integratatem ordinationis pertinere videntur.

*Quaeres 2. Quaenam sint materia et forma Presbyteratus?*

*Resp.* Est traditio calicis cum vino, et patenae superpositae cum hostia, et ultima manuum impositio; forma vero sunt haec verba: *Accipe potestalem offerendi Sacrificium Deo, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini: Amen,* quae correspondent traditioni instrumentorum; et ista: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, relenta sunt,* quae verba correspondent impositioni manuum.

*Objicies.* Si tam impositio manuum, quam traditio instrumentorum est, materia Presbyteratus, erit duplex Sacramentum; falsum conseguuntur.

*Resp.* Nego conseque maj. Materiae enim istae partes in unum confluunt Sacramentum, eo modo quo Eucharistia unicum est Sacramentum, quamvis duas habeat partiales materias et formas.

*Inst.* Ordinatio imprimit duos characteres, nam confert duas potestates; ergo sunt duo Sacra menta, ad duas

*Resp.* Nego conseque. Nam illi duo Characteres, sunt partiales et inadaequati, qui in unum Sacramentum confluunt.

*Quaeres 3. Quaenam sit materia et forma Diaconatus?*

*Resp.* Est impositio manus dexteræ a solo Episcopo facta super caput ordinandi, cum hac forma: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et temptationibus ejus in nomine Domini.* Et traditio libri Evangeliorum cum hac forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei pro vivis et defunctis &c.*

*Quaeres 4. Quaenam sit materia et forma Subdiaconatus?*

*Resp.* Est traditio calicis vacui cum patena vacua; sub hac forma: *Videte cujusmodi ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos adhibeatis, ut Deo placere possitis.* Et traditio libri Epistolarum, sub hac forma: *Accipe Obrum Epistolarum, et habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis.* onera Subdiaconi sunt, recitatio officii divini, et votum castitatis Ordini suscepto annexum.

*Quaeres 5. Quaenam sint materia et forma Ordinum minorum?*

*Resp. 1.* Materia Accolytus, est traditio candelabri cum cero extinto, sub hac forma: *Accipe ceroferarium cum cero, &c.* Et traditio urceolorum vacuorum, sub hac forma: *Accipe urceulos ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis, in nomine Domini.*

2. Materia Exorcistatus, est traditio libri exorcismorum, sub hac forma: *Accipe et commenda memoriae, et habe potestatem manus imponendi super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.*

3. Materia et forma Lectoratus, est liber lectionum, sub hac forma: *Accipe et esto Verbi Dei relator, habitus, &c.*

4. Materia et forma Ostiarius, est traditio clavium Ecclesiae, sub hac forma: *Sic age, quasi Deo redditurus rationem pro his rebus, quae his clavis recluduntur.*

Quaeres 6. Quaenam sint Ordinum germanae definitiones?

Resp. 1. Episcopatus definitur: *Ordinatio, qua, per manuum impositionem ab Episcopo consecratore et a consistentibus Episcopis factam, sub praescripta verborum forma, traditur Presbytero potestas regendi Ecclesiam Dei.*

2. Presbyteratus definitur: *Ordinatio, qua, per traditionem calicis cum vino, et patenae cum hostia, et impositionem manuum, sub praescripta verborum forma, traditur potestas Eucharistiam conficiendi, et a peccatis absolvendi.*

3. Diaconatus definitur: *Ordinatio, qua, per traditionem libri Evangeliorum, et impositionem manuum, sub praescripta verborum forma, confertur potestas Evangelium legendi, et Sacerdoti immediate assistendi.*

4. Subdiaconatus definitur: *Ordinatio, qua, per traditionem calicis vacui cum patena vacua, et traditionem libri Epistolarum, sub praescripta verborum forma, confertur potestas legendi Epistolas in Ecclesia, et proxime inserviendi Diacono solemniter ministranti. Et sic de caeteris ordinibus.*

§ III. De ministro, subjecto, et effectibus Ordinis.

Quaeres 1. Quis sit minister Ordinis?

Resp. 1. Minister ordinarius est solus Episcopus, ut definierunt Concil. Florent. in decreto, et Trid. sess. 23. can. 7.

Resp. 2. Simplex Sacerdos potest, ex commissione S. Pontificis, tonsuram et quatuor minores conferre, ut constat, tum ex cap. Requisivit, tit. de ordinatis ab Episcopo qui non renuntiavit, in quo dicitur: *Minores ordines a non Episcopis quandoque conferuntur. Tum ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 10. in quo prohibetur Abbatibus, ne conferant tonsuram vel minores Ordines, nisi regularibus sibi subditis; ergo, &c.*

Quaeres 2. A quonam Episcopo Ordines debeant recipi?

Resp. A proprio Episcopo, nullo modo ab alieno, absque litteris dimissoriis proprii Episcopi, ut statuit Conc. Taid. sess 22. c. 8. de ref.

Quaeres 3. Quis sit proprius Episcopus?

Resp. Triplex a Bonifacio VIII. cap. Cum nullus, de temp. Ordinationis, in 6. distinguitur, nempe, 1. Originis, in cuius Dioecesi quis natus est: 2. Beneficii, in cuius Dioecesi aliquis beneficium obtinet, modo tamen illud beneficium non fuerit per fraudem obtentum; ad quam vitandam Clerus Gallic. in comitiis anni 1657, statuit neminem ordinandum absque consensu Episcopi originis, exceptis casibus necessitatis. Puta, inquit Habert in compend. si difficilior sit recursus ad Episcopum originis, vel sedes ejus vacet, et beneficium, ratione cuius ordinant, residentiam postulet. 3. Episcopus domicilii, in cuius Dioecesi aliquis commoratur cum proposito ibidem perpetuo manendi: excipitur familiaris Episcopi, quem juxta Trident. potest ordinare, si per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium, qua-

cumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat.

Quaeres 4. Quinam sit subjectum ordinis?

Resp. Est homo baptizatus: nam 1. solus baptizatus est capax aliorum sacramentorum. 2. Mulieres jure divino argentur a sacris ministeriis. 1. Cor. 14. Turpe est mulierem loqui in Ecclesia.

Quaeres 5. Quid requiratur ad validam receptionem ordinum?

Resp. Requiritur intentio, sine qua nulla et invalida foret ordinatio, ut probavimus in dissert. de Sacramentis in genere.

Quaeres 6. Quenam requirantur ad licitam receptionem Ordinum?

Resp. Requiruntur novem: 1. Vocatio Dei, quia, nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron, ait Apost. Hebr. 5. 2. Status gratiae, quia est Sacramentum vivorum. 3. Confirmatio et prima tonsura, prout statuit Concil. Trident. cap. 4. de ref. 4. Congruae sustentationis titulus, sive ex beneficio, sive ex patrimonio, sive ex pensione, ita ut qui facto titulo ordinatus fuisset, ab exercito Ordinum ipso jure suspensus foret, Trid. ses. 21. cap. 2. de ref. Mendicantes tamen ordinantur sub titulo paupertatis. 5. Aetas legitima, quae est juxta Trid. annus 22. pro Subdiaconatu; 23. pro Diaconatu; 25. pro Presbyteratu; sufficit autem ut annus sit inchoatus. 6. Tempus a jure statutum pro ordinationibus. 7. Observatio interstitiorum, prout statuitur in Cone. Trident. 8. Ut ordinatio non fiat per saltum; id est, ut non suscipiatur Ordo minor, omissa inferiori; alias sic ordinatus, esset ab exercito Ordinis sic suscepti suspensus, cap. tuae litterae, de Clerico per saltum ordinato. 9. Immunitas ab omni irregularitate, ut infra probabitur.

Quaeres 7. Quinam sint effectus Ordinis?

Resp. Sunt quatuor: 1. Est gratia sanctificans, in augmentatione: 2. Est gratia sacramentalis, quae definitur

Gratia habitualis, sacrae potestatis traditiva, annexum habens jus ad gratas actuales necessarias ad officia cui libet Ordini propria rite persolvenda. Gratia ergo sacramentalis, nihil est aliud quam illud jus fundatum in gratia sanctificante: 3. Est character, ratione ejus ordinatio semel valide data iterari non potest: 4. Est celibatus, qui sacris ordinibus est annexus, et qui in hoc consistit, ut qui in Ecclesia latina sacris initiantur, nec matrimonium contrahere, nec matrimonio prius contracto uti possint: in Ecclesia vero graeca liceat quidem sacris initiatis (exceptis Episcopis) retinere uxores legitimas ante ordinationem ductas, et omni jure matrimonii uti, sed omnino, et quidem sub poena depositonis, prohibitus sit eis post ordinationem ducere uxores, ex Concil. Trid. can. 6. et 12.

IV. De irregularitatibus.

Quaeres 1. Quid sit irregularitas?

Resp. Definitur: Impedimentum canonicum, quo quis directe redditur inhabilis ad Ordines et beneficia licite suscipienda, et eorum functiones obvandas.

Dicitur 1. Impedimentum, ut distinguatur a censura, quae est poena.

Dicitur 2. Canonicum, quia non incurritur, nisi in casibus a jure expressis.

Dicitur 3. Quo quis directe, ut iterum distinguatur a censuris, quae non nisi indirecte possunt impedire receptionem Ordinum: ideo enim excommunicatio impedit, quia non licet cum excommunicato communicare: suspensio impedit usum Ordinum, non vero receptionem.

Dicitur 4. Ad Ordines, tam proprii dictos, quam proprii, quale est tonsura, oblique lev, obliqueq; lev, ead.

Dicitur 5. Et beneficia, ad quae irregularis dicitur ineligibilis, cap. ult. de temporib. Ord. in 6.

Dicitur 6. *Et eorum functiones*, ut declaratur in toto  
tit. de tempore ord.

Quaeres 2. *Utrum quis in dubio, irregularis sit ju-  
dicandus?*

*Resp.* Judicandus est in dubio facti, ut definivit Clem.  
III. cap. ad audientiam, de homicid. non vero in du-  
biis juris, quia id non exprimitur in jure.

Quaeres 3. *Quam poenam incurrat irregularis, qui  
exercet functiones Ordinis?*

*Resp.* Licet peccet graviter, tamen nullam poenam  
canonicam incurrit, quia nulla decernitur in jure.

Quaeres 4. *Quotuplex sit irregularitas.*

*Resp.* Dividitur 1. In totalem, quae omnium Ordinum  
receptionem et usum impedit, ut irregularitas ex homi-  
cadio. Partiale, quae Ordinis suscepti aliquem tan-  
tum usum impedit, sic Sacerdos caecus est irregularis  
ad Missam celebrandam, non ad audiendas confessio-  
nes. Et temporalem, quae impedit ad tempus suscep-  
tionem Ordinum, ut minor aetas in puer.

Dividitur 2. In eam quae est ex defectu, contrahitur  
que sine peccato, et in eam, quae est ex delicto, con-  
trahiturque propter peccatum grave, et actu externo  
consummatum.

Quaeres 5. *Quot sint irregularitates ex defectu?*

*Resp.* Sunt octo, nempe:

1. Est ex defectu animae, per quem intelligitur, 1. De-  
fectus usus rationis, ut in infantibus, amentibus, fu-  
riosis, energumenis, et epilepticis. 2. Defectus scien-  
tiae competentis ad officia Ordinis rite obeunda. 3. De-  
fectus fidei obfirmatae, ut in Neophyti.

2. Ex defectu corporis, qui impedit decentem Or-  
dinis executionem, vel scandalum, horrorem et contem-  
ptum personae generet. Tales sunt, 1. Qui carent in-  
dice vel pollice vel oculo sinistro. 2. Claudi, qui sine  
baculo non possunt incedere, gibbosi, leprosi, tremuli  
manibus, hermaphroditi. 3. Eunuchi, qui sibi virilia

amputarunt absque justa causa, vel quibus in poenam  
delicti amputata sunt.

3. Ex defectu natalium, quem habent omnes illegi-  
gitimi, etiam occulti.

4. Ex defectu famae, quem habent omnes infames,  
sive infamia juris, sive facti. In Gallia tamen admitti-  
tur sola infamia juris, declarata per sententiam Judicis.

5. Ex defectu aetatis, qui contrahitur ab iis qui non  
habent aetatem a Canonicis praescriptam pro recep-  
tione Ordinum.

6. Ex defectu Sacramenti, propter quem irregula-  
res sunt bigami, sive bigamia sit vera, qua quis duas  
uxores habuit, et cum eis Matrimonium consummavit,  
sive interpretativa, qua quis viduam duxit, aut ab al-  
tero corruptam; sive similitudinaria, qua quis post so-  
lemnem religionis professionem, vel Ordinis sacri su-  
ceptionem, contrahit Matrimonium etiam cum virgine.

7. Ex defectu lenitatis, ex quo contrahunt irregu-  
laritatem omnes qui voluntarie et proxime, licet juste,  
ad necem, vel mutilationem alicuius concurrunt, sive  
physice, ut homicida, carnifex; sive moraliter, ut accu-  
sator, testis, notarius, judex, &c.

8. Ex defectu libertatis, irregulares sunt, 1. Ser-  
vi, quandiu sunt servi. 2. Conjugati. 3. Curiates, ut  
sunt Judices, milites, quandiu illis functionibus sunt de-  
diti. 4. Obligati at ratiocinia, ut sunt thesaurarii publi-  
ci, tutores, curatores, procuratores, &c. donec reddi-  
derint rationes, et suam deposuerint obligationem.

Quaeres 6. *Quot sint irregularitates ex delicto?*

*Resp.* Sunt quatuor: 1. Provenit ex iteratione Baptis-  
mi, propter quam irregulares sunt omnes qui scienter  
et absolute rebaptizant, rebaptizantur, et ex officio mi-  
nistrant rebaptizanti.

2. Ex haeresi, propter quam irregulares sunt, non  
solum haereticici, sed et eorum receptatores, fautores,  
ipsorumque filii usque ad secundam generationem ex

linea paterna, et primam ex linea materna. Haec juris dispositio non viget in Gallia, ubi haeretici conversi non habentur irregulares.

3. *Ex indebitis susceptione, vel usu Ordinis*, propter quam irregulares sunt, 1. Qui suscepit Ordines per saltum, vel furtive, vel ligatus matrimonio, vel ab Episcopo non habente jurisdictionem; vel tandem qui in excommunicatione majori, suscepit Ordinem sacrum. 2. Qui ligatus excommunicatione majori, aut suspensione, aut interdicto, exercet actum proprium sui Ordinis. Item, qui exercet actum proprium Ordinis, quem non habet: ii excipiuntur qui cum dalmatica, sed sine manipulo, vices Subdiaconi gerunt. Item qui scienter celebrat in loco interdicto.

4. *Ex homicidio, mutilatione, et abortu*, propter quam, irregulares sunt, non solum qui homicidium voluntarium injuste perpetrant, sed et omnes cooperatores, v. gr. mandantes, consulentes, non impedientes, cum tenentur ex justitia impedire. Ergo non incurrit irregularitas ex homicidio pure casuah, omni diligentia adhibita, nisi occisor vacaverit rei illicitae, ut statuit Greg. IX. cap. *Quidam, de homicidio*.

Quaeres 7. *Quomodo tolli potest irregularitas?*  
*Resp.* 1. Omnes irregularitates ex delicto, et omnes ex defectu qui non remanet post Baptismum, tolluntur per Baptismum. 2. Irregularitas ex defectu temporali, tollitur per cessationem defectus. 3. Irregularitas ex defectu natalium, tollitur per solemnum Religionis professionem, sed quoad Ordines tantum, non quoad praelaturas et dignitates. 4. Tollitur per dispensationem.  
 Quaeres 8. *Quis dispensare possit in irregularitate?*  
*Resp.* 1. S. Pontifex potest dispensare in omni irregularitate jure humano inducta. 2. Episcopus, ex Concil. Trident. sess. 24. de ref. c. 6. potest dispensare in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, nec ad forum contentiosum deducto, excepta ea quae

oritur ex homicidio voluntario; sed nullo modo potest dispensare in irregularitate ex defectu, excepta ea quae provenit ex defectu natalium, in qua potest dispensare ad Tonsuram, minores Ordines, et beneficia non requiringentia susceptionem Ordinis sacri, ex cap. *Is qui, de filiis Presbyterorum, in 6.*

#### §. V. De Censuris.

Quaeres 1. *Quid sit censura?*

*Resp.* Definitur: Poena, ab ecclesiastica potestate inficta, hominem viatorem, baptizatum, adulterum delinquentem, privans usum bonorum Ecclesiae spiritualium et communium, donec a contumacia resipiscat.

Dicitur 1. *Poena*: per quod convenit cum depositione, degradatione, &c.

Dicitur 2. *Ab ecclesiastica potestate inficta*: quia est actus jurisdictionis spiritualis a Christo concessae praefatis Ecclesiae, his verbis: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Coelo.*

Dicitur 3. *Hominem viatorem baptizatum*: quia solus viator et baptizatus sunt subditi Ecclesiae.

Dicitur 4. *Adulterum*; quia infantes non sunt capaces peccati. Quoad impuberes adultos, possunt equidem ligari censura a jure, non vero censura ab homine, quia non censentur habere sufficientem maturitatem ad intelligentium ordinem judiciarium.

Dicitur 5. *Delinquentem*; quia gravis poena supponit grave peccatum, quod debet esse. 1. *Externum*. 2. *Mortale*, vel ex circumstantiis; 3. *Opere completum et consummatum*, nisi aliud exprimatur in lege. 4. *Cum contumacia conjunctum*, id est, cum preecepti et censurae contemptu.

Dicitur 6. *Privans usum*, non autem ipsa potestate, v. gr. titulo beneficii.

Dicitur 7. *Bonorum spiritualium non temporalium*,